

308

306

312

302

317

297

357

257

407

207

Ende

Anfang

297

mur et quasi aqua dilabimur, 2. Reg. XIV., nec aliquis prudenter confidere potest de aetate juventutis, de virtutis robore, de corporis sanitate, de mundana prosperitate, quia nulli parcit mors, et aeque moriuntur senes et juvenes, divites et pauperes. Caduca nimirum et fragilia pluribusque consentanea crepitis sunt ista, quae vires humanae atque opes vocantur; afflunt subito, repente dilabuntur, nullo in loco, nulla in persona stabilibus infixa radicibus insistunt, sed incertissimo flatu ruinae huc atque illuc acta, quos in sublime extulerunt, improviso decursu destitutos profunda clodium miserabiliter immergunt. Quod luculenter demonstrat Jeronymus in epitaphio Nepotiani, plur. replicans vicinas regum miserias et nostri corporis calamitates, ut non tam plangendum sit, qui hac luce caruerit, quam congratulandum ei, quod de tantis malis evaserit, quod per multa ibidem probat exempla, sicut et nos (¶) ad oculum cernimus. Omnibus his, quae cum defuncto viro gerabantur, interfui manumque, ubi oportunum fuit, apposui, et manifesta experientia didicimus, confictum esse mendacium, quo dicitur, quod corpus exanime sive mortuum per mare non possit duci, et praetextu illius figmenti peregrini, etiam magni, nobiles, barones et milites, qui pro tempore in mari rebus excedunt humanis, statim in undas mittuntur, nec vel ad terras proximas sinuntur vehi gratia sepeliendi. Dicunt enim cum peregrino mortuo non posse esse fortunatam navigationem, ideo festinant, ut ejiciantur, suorum vero dominorum corpora ad paternas sepulturas transducunt, quia corpora nostra sint infelicia eorum cadaveribus.

Ilo die sepelivimus de classe quatuor mortuos, duos in quadam galea mortuos ex infirmitate, unum gladio imperfectum in castello a quodam alio galeota, qui nobis cum evaginato et cruento gladio occurrit, abdita petere volens, quartum, consulem, in galea nostra, cuius sepelitio fuit mihi et omnibus non solum in nostra galea, sed per totam classem molestissima, sed nemo loqui verbum ausus fuit nec vultum torvum ostendere.

Facto vespere in galeam reversi sumus omnes, et aptabant naucleri classem, quasi securi essent, se in illa nocte prosperum ventum habituros pro navigatione, cum tamen pejor videretur mihi ventus, quam heri et nudius tertius; sperabant enim, quod propter instans festum S. Caeciliae, quae una est de patronis maris, ventum bonum futurum: nam hos sanctos dicunt esse navigantium

